RECTOR

ACADEMIAE LIPSIENSIS

SOLEMNIA SACRORVM

PENTECOSTALIVM

A. D. XIX. MAII A. R. S. CIƆIƆCCXCIII

IN

AEDE PAVLINA

PIE ET RELIGIOSE CELEBRANDA

INDICIT

SPICILEGIVM XIX.

Autographorum, illustrantium rationem, quae intercessit Erasmo Roterodamo cum aulis et hominibus aeui sui praecipuis omnique republica.

D. IOANNIS à BOTZHEIM,
Canonici Conſtantienſis, Epiſtolae duae,
A. 1523. ad Eraſmum datae,
ex Autogr.

Nullam vſquam huius Viri docti, quem magni fecit Eraſmus, epiſtolam inuenimus editam. Sed quinque ERASMI ad *Ioannem Botzemum ſuum* (ita enim Vir Summus Noſtrum vocat) publicarunt Operum editores, datas Louan. 16. Maii 1517. Baſil. 25. Dec. 1522. et 1. Febr. 1528. Frib. Briſg. 13. Aug. et 19. Aug. 1529. Vid. T. III: p. 239. ep. 248. p. 739. ſ. ep. 643. p. 1730. ſſ. App. ep. 346. p. 1225. ſſ. ep. 1072. p. 1234. ſſ. ep. 1078.

Eumdem ERASMVS p. 733. in epiſtola 636. ad Conradum Heresbachium, Baſil. 18. Oct. 1522. vocat „*hominem, praeter eruditionis et integritatis dotes, adeo feſtiuum, vt vel mortuum poſſit exhilarare.*" Et p. 754. in epiſtola 650. ad Marcum Laurinum, Baſil. 1. Febr. 1523. data: „Excepit nos, in„quit, hoſpitio *clariſſimus vir, Ioannes Botzemus Abſtemius,* „eius loci (Conſtantiae) *Canonicus; quo quidem homine nihil* „*adhuc vidi comius, aut candidius; diceres Muſis et Gratiis natum.* „*Domum habet, quae Muſarum domicilium videri poſſit; nuſ*„*quam non prae ſe ferens aliquid nitoris et elegantiae; nuſquam* „*muta, ſed vndique loquacibus picturis alliciens ac remorans ocu*„*los hominum.* In aula aeſtiua, quam, vt ait, mihi para-

 „verat,

„verat, proxime menſam, ſtabat *Paulus* docens populum. „In altero pariete ſedebat *Chriſtus* in monte, docens ſuos Di„ſcipulos; tum *Apoſtoli* per iuga proficiſcentes ad Euangelii „praedicationem. Secundum fumarium conſiſtebant Sacer„dotes, Scribae et Phariſaei, cum Senioribus conſpirantes „aduerſus Euangelium, iam ſuboleſcens. Alibi canebant „nouem Sorores *Apollinis;* alibi *Charites* nudae, ſimplicis „beneuolentiae et amicitiae non fucatae ſymbolum. *Sed „quid ego perſequar totam illius domum epiſtola depingere, cuius „nitelas, cuius delicias vix decem diebus perluſtrare poſſis? Sed in „totis aedibus vndique ornatiſſimis nihil eſt ornatius ipſo hoſpite. „Muſas et Gratias magis habet in pectore, quam in tabulis; ma„gis in moribus, quam in parietibus.*“ His addere liceat verba THOMAE LVPSETI, Angli, qui p. 1702. ep. 325. Append. Noſtrum adpellat *doctiſſimum virum, D. Doctorem Botzemum Abſtemium, patronum communem ſtudiorum;* eumque adloquitur ita: „*Reuerende Botzeme, vir omnium, quos hactenus in hac „vita reperi, humaniſſime!*“

Huius igitur talis Viri quindecim autographae ad *Eraſmum* nunc tandem diuulgandae ſunt epiſtolae, in tenebris adhuc latentes, quarum duae ad annum 1523. pertinent.

Prior, ſcripta die *Bartholomaei*, i. e. 24. Auguſti, (v. Index A. 1523. n. 2.) loquitur de *capitibus mundi* et *regibus terrae Eraſmi patronis;* de *Anglorum* erga *Eraſmum fauore;* de *amicorum* eius *multitudine* antiqua et noua; de *Secretarii conſilio* laudando et comprobando; de *Theologis Louanienſibus;* de *Eraſmi* in *aula Caeſaris inimicis;* de *Lutheri aduerſariis, Margarita* et *Fabro;* de *pecunia*, Eraſmo miſſa a *Ferdinando*, Caeſaris fratre, addita libera *Botzhemi* ea de re et de Ioanne *Fabro* ſententia; de *Vannio* reiiciendo et *tumultu Conſtantiae*

metuen-

metuendo; de *Oecolampadii* disputatione; de *Cronebergio* advena; de *tribus Monachis Bruxellae combustis;* de *Hutteno* sedando; de *Nuncio Papae* apud *Heluetios;* de *Heluetiorum* in caussa *Lutheri conuentu* ac *dissidio;* de *Frobenio;* de *Erasmo* pergrato *Botzhemi hospite* futuro; iterum de *Fabro.*

S. Congratulor tibi, suauissime praeceptor, ex animo, te esse, pro quo habendo atque fouendo certent capita mundi et reges terrae, missis ad te vndequaque et diplomatis, et muneribus, maiora praestituri, si volueris. Non est de nihilo natus fauor Anglorum erga te, cum tu etiam maiora ab illis merueris, tametsi plerumque pessima merces contingat a quibus optime sis meritus; sed memineris, aliquid diuinae misericordiae relinquendum esse, quod remuneret, vel condonet. Scribis, numerosam multitudinem amicorum tibi et ab antiquo fuisse, et his aliquot accessisse. Scias, hos omnes esse paucissimos, si comparaueris his, quos venturis subinde seculis es habiturus. Inuitant te plures pro odiosissimo negotio tractando [1]). Periculum est, ne ferueat affectus, vt plus velint vindicatam iniuriam sui Regis [2]), quam auctam gloriam Christi. Secretarii [3]) consilium placet. Is, quisquis est, consulit studio tuo salutari et quieti, quam vbique praedicas. Diceris conductum organum multorum Papistarum, nec sine graui periculo tuorum librorum, qui vellicabuntur passim a quouis etiam cerdone. Meo consilio suspendes omnes illos ad vnum aut alterum annum, vt

 solebas

1) Sermo haud dubie est de Anglis aliisque Erasmum incitantibus ad scribendum contra Lutherum.

2) *Henrici VIII*, Regis Angliae, qui a. 1521. scripserat aduersus *Lutherum*, pro *defensione septem Sacramentorum*, et cui responderat *Lutherus* latine et germanice, mense Iulio a. 1522. verbis asperioribus.

3) Nescio-cuius, Anglici tamen, vt videtur.

ſolebas hactenus; niſi malis eſſe ſignum, ad quem plurimi mittant ſpicula. Monitore non eges, cui plus ſatis eſt ingenii pro eo negotio. Placet, quod de Theologis Louanienſibus ſcribis; redigentur tandem, quo digni ſunt. De aemulo Gallo [4]) conſule noctem. Olfacio, eſſe quosdam ex Germanis apud Caeſarem [5]), qui tibi male faueant, ex quibus vnum eſſe putant quendam Balthaſarem, Praepoſitum in Waldkirch, et Canonicum Conſtantienſem [6]), qui nunc in Hiſpaniis agit in Aula. D. Margarita [7]) furit in negotio Lutherano, id quod apud nos facit Faber [8]), et per hunc aliquot Epiſcopi et Principes. Sunt tamen ex his, qui plus faciant. Certo ſcio, illum extorſiſſe pecuniam Ferdinandi [9]) ad te miſſam, vt corrumparis, nam integer nolueras. Metitur Eraſmum ex ſe, qui tanto Iuda Conſtantior eſt, quod non reiiciat pecuniam receptam, ſed in dies augeat mercedem ſuae pertinaciae. Is aſcitus eſt in Aulam Ferdinandi [9]). Reverſus nunc agit Conſtantiae, quoad res ſuas componat. Nam multo aere alieno grauatus eſt, vt etiam ſuperet Eppendorpium [10]). Concoquitur

4) Loquitur fortaſſe vel de *Petro Sutore*, Theologo Pariſienſi et Monacho Cartuſiano; vel de *Natali Bedda*, Minorita Gallo, Doctore Theol. Pariſienſi; de quorum cum Eraſmo controuerſiis vid. Opera Eraſmi.

5) Carolum V.

6) De hoc *Balthaſare Mercklino*, Caroli V. Caeſaris Conſiliario et Legato, Canonico Conſtantienſi, deinde Imperii Procancellario, Epiſcopatus Hildeshemenſis Adminiſtratore, tandem Epiſcopo Melitenſi, et paullo poſt etiam Epiſcopo Conſtantienſi, anno 1531. aet. 52. mortuo, diximus in Spicil. IV. Ex autographa eius epiſtola, a. 1529. ſcripta, et ibid. edita, patet, eum fuiſſe Eraſmi patronum, ſaltem vltimis vitae annis.

7) Obſcurum nomen in catalogo Lutheri aduerſariorum.

8) D. *Ioannes Faber*, Vicarius Epiſcopi Conſtantienſis, poſthac Epiſcopus Viennenſis, a. 1541. aet. 63. mortuus, de quo vid. Spicil. VI. vbi ſex eius ad Eraſmum epiſtolae ex autogr. editae legi poſſunt.

9) *Ferdinandi*, Archiducis Auſtriae, Caroli V. fratris, poſthac a. 1526. et 1527. Regis Hungariae et Bohemiae, a. 1531. Regis Romanorum, tandem Imperatoris, a. 1564. mortui.

10) Henricum *Eppendorpium*, de quo vid. Spicil. XIV. p. 19. 20. not. 4.

coquitur apud nos denuo Tragoedia de reiiciendo Vannio [11]), non ſine tumultuoſo murmure, tametſi in ſecretis inter paucos res agatur. Proximis his intelliges, populus et maior pars Senatus fauent Vannio [11]), fidunt Faber et ſui plurimum auxiliis et Verulani Epiſcopi [12]), et aliorum, qui Caeſaris nomine hic agunt Conſtantiae. Subodoratur tumultus, ſed intra quindecim dies, ſi quid agetur, ſcies. De Diſputatione Oecolampadii [13]) hactenus ſcire non potui finem, nec dabatur opportunitas conueniendi eum, qui litteras tuas reddidit. Ad ſollemnem Diui Barptolomaei recipiam hoſpitio Cronebergium [14]) aduenam, nec prius a me viſum, nec cognitum. Is abiit Tigurum, cui adhibueram ducem viae meum Martinum eo die. De exuſtis tribus Monachis Bruxellae [15]) delata eſt nuda hiſtoria Norimbergae excuſa, quam audio propediem prodituram accuratiſſi-

11) *Vannium* Concionatorem, et virum Euangelicae ſinceritatis, vocat Eraſmus in epiſtola ad Marc. Laurinum, Baſil. 1. Febr. 1523. T. III. Opp. p. 755. ep. 650. vbi de *Conſtantia* loquitur. Sermo autem eſſe videtur de *Valentino Vannio*, ex Monacho Ciſtercienſi, Concionatore Euangelico variis locis, deinde Eccleſiaſte Stutgardienſi, tandem ab a. 1558. primo euangelico Abbate Maulbrunnenſi, etc. a. 1567. mortuo, variorum ſcriptorum auctore.

12) *Ennii*, Epiſcopi Verulani, Legati Pontificis Rom. ad Heluetios, poſthac Cardinalis Epiſcopi Albanenſis, Romae a. 1549. aet. 83. mortui, de quo vid. Spicil. I. vbi quinque eius ad Eraſmum ex autogr. editae exhibentur epiſtolae.

13) Theologi Baſileenſis, a. 1531. mortui.

14) *Hartmuthum a Cronenberg*, Equitem in tractu Rhenano, doctrinae Lutheri defenſorem, etc. de quo varia habet Seckendorfius in hiſt. Luther. et cuius varia ſcripta cum Lutheri ad eum litteris exhibent Lutheri Opera, T. 18. edit. Lipſienſ. germ. p. 215. ſeqq.

15) Vid. de his tribus Monachis Auguſtinianis, ex coenobio Antuerpienſi, Henrico *Voës*, Ioanne *Eſch*, vel *Neſſe*, *(von Eſſe,)* et *Lamperto*, qui Bruxellis M Iulio exuſti ſunt, Seckendorfii hiſt. Luth. Lib I Sect. 57. §. 158. ſq. p. 279. ſeqq. et Lutheri Opp. T. 18. edit. Lipſ. p. 481. ſeqq.

curatiſſime conſcriptam. De Hutteno [16]) ſedando placet inſtitutum. Caetera placebant omnia. Nuncius, eadem hora, qua tuas reddidit, extorſerat litteras meas, ſi quas ad te haberem mittendas. Nunc audio, Tiguri conueniſſe legatos Heluetiorum omnium, pro tractando negotio Lutheri. Lucernenſes inſaniunt contra Tigurinos. Vellent eſſe perditos. Intellexi tamen, Bernenſes, Suicenſes, Glarianos, Baſilienſes, Schafhuſenſes, colludere cum Tigurinis; nam hi non peſſime fauere negotio dicuntur. Expectabimus, quid ſit futurum. Poſtquam Frobenius [17]) quicquam abſoluerit, cura, vt habeam. Quid hoc eſt, mi Eraſme, quod dicis: ſi propius abeſſes, inuiſerem te? Si vales, et faues Botzhemo, iter erit breue; ſi ſecus, quoduis, quantumuis proximum, erit longiſſimum. Expectat te manſio tua ſuperne cum fumario fabrefacta. Expectat te tuus Botzhemus, qui, ſi poſſet, imperaret profectionem tuam, Conſtantiam. Vnum eſt Vini periculum, caetera pro tua humanitate boni conſulta fore non diffido. Vale feliciſſime. Ipſo Barptolomaei ſolemni, 1523.

Tuus Botzhemus.

Faber [18]), ſub die Corpori Chriſti dicato, volens Lindaui habere concionem ad populum, poſtquam conſcendiſſet pulpitum, ſeu ſuggeſtum, coepit: ſtrui turrim inuincibilem contra aliquot doctrinas Lutheri, qui, dum vehementius propugnat, plauſibilius vincetur. Tum poſtea intra paucos dies leui quodam vento vaſtatur

16) *Vlrico* ab *Hutten*, Equite Franco, a. 1523. m. Aug. mortuo, defenſore religionis euang. imprudente et violento, de quo vid. Spicil. XIII. p. 13. not. 7.

17) *Ioannes Frobenius*, Typographus Baſileenſis cel. a. 1527. mortuus.

18) Vid. n. 8.

tur turris illa Fabrilis; quod cum vidiſſet quidam amicus, ſcripſit hoc hexaſtichon, quod appoſitum vides.

Omnium Doctiſſimo Viro, Domino D. Eraſmo Roterodamo,
Praeceptori Chariſſimo,
Baſileae.

(Sigillum integrum.)

Poſterior, data *ex Conſtantia*, 3. *Decembris* A. 1523. (v. Index h. a. n. 7.) dicit de *inimicis Eraſmi*, de *rebus Conſtantienſibus*, de Michaële *Sandero*, Canonico Conſtantienſi, de *Oecolampadio* Baſileenſi, additque *admonitiones* et *conſilia.*

S. De calumniis Spongiae tuae nihil miraberis, ſi memineris, eſſe ex his bonis ſcilicet Viris, qui nihil inſidiarum non tentent, poſtquam ſemel ruperint amicitiae iura. At ſolidior eſt et fides, et integritas Eraſmi Roterodami per orbem, quam vt a ſimilibus, ne dicam nebulonibus, loco moueri poſſit. Cognitum eſt mihi, nec illi neſciunt, qui rumores huiusmodi ſpargunt impudenter, rem ita ſe habere, vt ſcribis. Sed quid facient homines deſperati, indulgentes otio, vino, ludo, et id genus virtutum agentes? Tragoedia apud nos, de qua ſcripſi, magnifice a noſtris coepta eſt, ſed hactenus a Senatu Conſtantienſi intercepta, tametſi Epiſcopus [19]) et Senatus, viciſſim miſſis legatis, agant negotium; ſed, vt video, quisque intentum ſuum mordicus tenet. Epiſcopus [19]) praetextu alieno, nempe ob mortem Zuicci, quondam apud Mersburgum praefecti ſui, reliquit Conſtantiam. Interea plus ſatis vehementer agunt Suffraganeus, Michael Sanderus et nonnulli alii, Epiſcopi nomine,

19) *Hugo de Landenberg*, Epiſcopus Conſtantienſis ab a. 1496. — — 1529.

mine, apud Senatum Constantiensem, quos quanto video vehementiores, tanto indies sentio maiori grauatos odio a Constantiensibus. Mireris, si scias vehementissimum animum Michaelis Sanderi, iam nouiter facti Canonici Constantiensis, quem audio propediem iturum Romam, postquam intellexit nouum Pontificem Romanum electum [20]). Abitum Oecolampadii a Basilea miror, cum intelligam, eum illic bene audire. Et quo tandem se proripiet bonus ille vir? Tu perges esse tui similis, paraphrastes quietus, pacificus. Quod ad te attinet, nihil audio, praeter hoc vnum, quod sint quidam, qui te suae imprudentiae velint esse complicem, nempe inconsultae temeritatis propugnatorem. Quod vt te facere nolim, ita negotio Euangelico sinceriter te adesse, quod ipse facis, adhortor. De processu tragoediae nostrae fortassis plura alias. Optime vale, et Botzhemum tuum tibi commendo. Ex Constantia, 3. Decembr. 1523.

Tuus ex animo Ioannes
Botzhemus.

Verae Theologiae et optimarum litterarum restauratori incomparabili, D. Erasmo Roterodamo, Domino et patrono suo colendissimo.
(Sigillum integrum.)

D. IOANNIS *à* BOTZHEIM,
Canonici Constantiensis, Epistolae quatuor,
AA. 1524. et 1525. ad Erasmum datae,
ex Autogr.

In *prima*, VIII. Id. Iunii, seu d. 6. Iunii, A. 1524. *Constantiae* scripta, (v. Index h. a. n. 4.) *commendat* auctor *adolescen-*

20) *Clementem VII*, Hadriani VI. Successorem.

lescentem; dicit de *Conuentu Principum* Bauarorum aliorumque *Heidelbergae*, de rebus *Germaniae inferioris*, de *Episcopo Constantiensi* vexante *Lutheranos*, de Guilielmo *Farello*, etc.

S. Ex commendatione Humelbergii *) suscepi hunc adolescentem humaniter, qui et ipse rogauit, vt meis litteris Erasmo fieret notus. Egit Constantiae tribus diebus. Videtur non ignarus esse vtriusque linguae. Nomen illius est Magnus, agnomen excidit e memoria, nec ille aderat, dum scriberem. Tu, si non graue fuerit, fauebis illi, colloquium tuum vel breuissimum. Scripsi tibi per sapientissimum iuuenem, non est quod te grauem multis. Rerum nouarum nihil est apud nos. Audio, Principes Bauaros omnes (vocatis ad se aliquot aliis non Bauaris Episcopis, Treuirensem videlicet et Argentoratensem,) conuenisse Heidelbergae, sub fuco ludi sagittarii. Quid illic concoquatur, varii varia diuinant. Praeterea his diebus quidam apud nos aduena dicebat, in Germania inferiori, si bene memini, per Geldros suscitari nonnihil tumultus, fortassis subornatione Regis Galliarum [21]). Episcopus Constantiensis [22]) saeuit in Lutheranos, quorum decem detinentur inclusi carceribus extra Constantiam. Si vera narrantur, vndique meditantur insidiae contra ciuitates fauentes Euangelio, quibus impingitur nomen Lutheranorum. Fuit his diebus Constantiae Guilhelmus Farellus [23]), cum quodam consocio, Galli vtrique. Quid agas, et vt

 valeas,

*) Gabrielis *Humelbergii*, gente Sueui, Medici, scriptorum quorumdam auctoris.

21) *Francisci I.*

22) *Hugo de Landenberg.* Vid. n. 19.

23) *Guilielmus Farellus*, a. 1489. in Gallia natus, relicta patria, docuit Argentorati, Tiguri, Bernae, Basileae, Geneuae, Metis, aliisque locis, et diem obiit a. 1565. variorum scriptorum auctor. Vid. Seckendorfii hist. Luth., Andreae biblioth. belg., Bayle diction. hist. et crit. etc.

valeas, per otium scribe, et si quid habeas rerum nouarum. Bene vale, suauissime praeceptor, et valetudinem tuam cura. Ex Constantia, VIII. Id. Iunii 1524.

Tuus Ioannes Botzheums.

Christianissimo Theologo, eidemque doctissimo, Domino D. Erasmo Roterodamo, praeceptori suo vnice charo,

Basileae.

In *secunda*, XIII. Cal. Ianuarii, id est die 20. *Decembris*, A. 1524. scripta, (v. Index h. a. n. 12.) loquitur de *coniectis in carcerem*, de rebus *priuatis*, de Ioanne *Fabro*, de pecunia *Frobenio* missa, etc.

S. Charissime Praeceptor. Postridie postquam ad te scripsissem, redditae sunt mihi litterae, quas per nuntium Basiliensem miseras. De coniectis in carcerem non admodum doleo, nam video abuti arte excussoria, non sine graui tumultu et periculo. Quod non in tempore receperis litteras Datarii [24]), mea causa quereris. Non multum refert, nunquam non sunt opportunae litterae tuae. Da operam, vt iuues, quoad licet, tametsi sperem, rem posse sopiri vtcunque, nec tamen sine iactura pecuniae meae. Ferendum est aliquid. Sanderum [25]) esse calcar eius negotii, plurimis coniecturis diuino. De gloria Fabri [26]) nihil noui scribis, qui totus est gloriosus. Misi pecuniam pro equo et epistolam, per fictum nuntium.

24) Sedis Romanae *Datarii*, vt vocant.

25) *Michaelem Sanderum*, Canonicum Constantiensem, de quo vid. Botzhemi epistola d. 3. Dec. 1523. data.

26) Vid. n. 8.

tium. Per eum rescribes, si quid habeas. Misi et Frobenio [27]) pecuniam pro Hieronymo et Lexico. Caetera scripsi proximis litteris. Bene vale, suauissime praeceptor, 13. Cal. Ianuarii 1524.

Tuus Ioannes Botzhemus.

Omnium doctissimo Theologo, D.
Erasmo Roterodamo, praeceptori
suo charissimo,

Basileae.

(Sigillum integrum.)

In *tertia*, d. 25. *Ianuarii* A. 1525. *Constantiae* exarata, (v. Index h. a. n. 2.) dicit de *suis rebus*, de *Papa* et *Galliae Rege*, de *Papa pessime audiente* apud Proceres, de congregatis *Constantiae Ferdinandi* aliorumque *Legatis*, de *Rusticorum motibus*, de rebus *priuatis*, etc.

S. Missum est ad me Breue Apostolicum, Reuerendissimo Episcopo Constantiensi [28]) reddendum, cuius exemplar ad te mitto. Quamprimum receperam, praesentaui Dominis Confratribus meis de Capitulo, rogans, dignarentur meo nomine reddere Episcopo, et commendare me illi, et caussam meam impetraui. Miserunt Domini Capitulares duos ex ordine suo, qui redderent Breue Domino Episcopo, adiuncta commendatione. Quo facto, Dominus Episcopus recepit tempus deliberandi, responsurus breui, addens spem bonam. Nunc interciderunt negotia, quae impediunt caussam meam. Sunt amici, qui valent auctoritate apud Episcopum, qui pollicentur bonam spem. Pridie venit ad nos nuntius, quem vulgus Postam vocat, qui per litteras aduectas a Principe Ferdinando

27) Ioanni *Frobenio*, Typographo Basileensi.

28) *Hugoni* de Landenberg. Vid. n. 19.

nando [29]) certo declarauit, Papam [30]) ſtare a parte Regis Galli [31]), et eo nomine Pontifex Maximus audit peſſime apud Proceres noſtros. Sunt congregatae aliquot legationes apud nos Conſtantiae, nempe Principis Ferdinandi, Maioris Ligae Sueuorum, et Nobilium noſtrae patriae, qui tractant negotium Vualthutenſium, qui et ipſi adſunt, comitantibus Legatis Turicenſium, Baſilienſium et Schafhuſenſium. Non audio, potuiſſe rem componi. Nam Vualthutenſes nullis perſuaſionibus induci poſſunt, vt reiiciant ſuum Parochum, non conuictum ſacra Scriptura, id quod illi maxime cupiunt. Praeterea ruſtici furunt paſſim apud nos. Proceres parant quingentos equites armatos, et mille pedites, ſubuerſuros partem ruſticorum, ſi vera narrantur. Scripſit D. Sadoletus [32]) Domino Bonifacio, qui totus eſt amicus illi, et poteſt, ſi velit, abolere negotium meum. Aduerſarius meus, homo bonus, vt audio, totus pendet ex Reuerendiſſimo Domino Sadoleto [32]), qui et tibi eſt propenſiſſimus. Poſthac ſcies, quid egerit mecum Epiſcopus Conſtantienſis, cuius reſponſum expecto. Bene vale, Botzhemi tui non immemor. Ex Conſtantia, 25. die Ianuarii, 1525.

T. deditiſſimus Botzhemus.

Verae Theologiae et bonarum litterarum omnium Principi et Reſtauratori, D. Eraſmo Roterodamo, praeceptori vnice obſeruando,

Baſileae.

(Sigillum integrum.)

In

29) Caroli V. Caeſaris fratre. Vid. n. 9.

30) Clementem VII.

31) Franciſci I.

32) Iacobus *Sadoletus*, poſthac Eccl. Rom. Cardinalis, etc. ſcriptis negotiisque clarus, gente Italus, a. 1477. natus, et a. 1547. Romae mortuus eſt.

In *quarta*, Conſtantiae 3. Non. Maias, ſiue d. 5. *Maii*, A. 1525. ſcripta, (v. Index h. a. n. 7.) loquitur de *ſe ipſo* et *Zuicco*, de *Frobenio* et *Oecolampadio*, de *Sectis* multis, de *controuerſia eucharistica*, de *Anabaptiſtis* et *Ruſticorum* motibus, de *Eraſmi aduerſariis*, addens conſilia ſua, de *Eraſmi litteris Romam* mittendis, de *ſe ipſo* et Eccleſia *Conſtantienſi*, *etc.*

S. P. Tam eſt verum, quod duxerim vxorem, quam quod captus eſt D. Zuiccus [33]). Ego nec tale quicquam memini, nec ille metuit. Vterque liber eſt ab imputato vinculo. Quamobrem dices Frobenio [34]), vt gratias agat Migoni ſuo, qui illi tam certa fide narrauit. Quid de Oecolampadio [35]) et ſuis ſentiam, non probe conſtat. Video illius libellos, animum non video. Quotusquiſque eſt, qui non miſceat ſuos affectus? Video, pullulaſcere ſectas multas, vel inter eos, qui de vno Euangelio gloriantur. Quam hoc Chriſtianum ſit, alii iudicent. Ego nemini horum nec aurem, nec animum praebebo, contentus mea ſimplicitate fidei in Chriſtum. Ego non cruciabor anxie, quis illorum argutior ſit. De participatione dominici corporis et ſanguinis quam varia produntur! Ille contendit, ſolam eſſe memoriam, et facit adminiſtrari per praecones reipublicae. Alius mordicus frendet, illic latere verum corpus et ſanguinem Domini, qualis fuerit in cruce Chriſtus, et adminiſtrari per ſacerdotem. Sunt praeterea, qui vtrumque negant, et aliud

33) *Ioannes Zuiccus*, (*Zwick*), Conſtantiae natus, ex Iuris Doctore, in Italia creato, Theologus Euangelicus, Paſtor Rüdlingenſis, et a. 1525. Concionator Conſtantienſis, obiit a. 1542. variorum ſcriptorum auctor.

34) *Ioanni Frobenio*, Typographo Baſil.

35) *Ioanne Oecolampadio*, Theologo Baſileenſi, Zuinglii defenſore.

aliud quiddam dicunt. Ille vult ſuismet manibus contrectare, iſte vult ſibi tradi a ſacerdote. Ille contentus eſt vna ſpecie, iſte digladiatur pro vtraque. Ille vult ſanguinem e calice argenteo, iſte e pinu aut fraxino. Ille vult panem ad ea hactenus aſſuetum dari, iſte nouos quosdam effingit paſtillos, ne non videatur aliquid noui inveniſſe. Nec eſt finis talium rixarum, nec minori inſultu tumultuatur de baptiſmate paruulorum. Audio, eſſe alicubi in agro Tigurino, vbi ruſtici palam alter alterum e lacubus et fluminibus viciſſim ſeſe rebaptizent. Apud nos omnia plena ſunt armis et cruentis caedibus. Proceres armati ſaeuiunt. Ruſtici furioſi debacchantur et inſaniunt, tametſi magna pars ruſticorum apud nos, quibusdam conditionibus receptis, quieſcant. Apud Wirtembergenſes nunc dicitur erupiſſe concoctus furor ruſticorum, magno malo quorundam illic Procerum. Eo ſe recepit vis armatorum Procerum animo conſternandi tales rabioſos. Chriſtus agat quod videatur optimum. De libellis in te ſcriptis nihil vidi. Theologaſtros tractabis pro dignitate, ſi votis meis reſponderis. Sed metuo, ne modeſtia innata dentes omnino demolierit. Oſtende, quam nihil conueniat inter Theologum et Sutorem [36]; quantum diſtet inſtitutum Cartuſianicum, quod profitentur, a mordaci lingua et calamo; quantum abſint a vera theologia, qui ſibi omnem theologiam vindicant. Sed quis eſt tandem finis rixandi? Litteras, quas miſiſti Romam mittendas, curabo perferri, quibus iungam meas. Adventum meum nemo moratus eſt, praeter onera eccleſiaſtica; nam abſunt multi Canonici, propter ſeditiones ruſticorum. Ego relictus ſum Eccleſiae, vt ſemper canam. At ſpero, me intra triduum habiturum, qui me liberent aliquouſque, tum accingam me itineri.

Saluta.

36) Controuerſia erat Eraſmo cum *Petro Sutore*, Theologo Pariſienſi et Monacho Cartuſiano. Vid. Eraſmi Opera.

Salutabis ex me familiam domesticam et Frobenios [37]), ac vale. Constantiae, 3. Non. Maias, 1525.

Tuus Botzhemus.

Doctissimo Domino D. Erasmo Roterodamo,
Theologo et Oratori clarissimo, Praeceptori
vnice charo,

Basileae.

(Sigillum integrum.)

D. IOANNIS *à* BOTZHEIM,
Canonici Constantiensis, Epistolae duae,
AA. 1526. et 1527. ad Erasmum datae,
ex Autogr.

Altera, *Constantiae* XI. Cal. Nouembr. i. e. die 22. *Octobris*, A. 1526. scripta, (v. Index h. a. n. 7.) continet varia de Thoma *Lupseto*, Anglo, et Cardinali *Polo*, Constantiae hospite, de *Ioanne a Lasco*, Polono, de loco quodam *Euangelii Ioannis*, de missis duobus libris *Epistolarum Apostolicarum*, de *Erasmi* et *Lutheranorum* quorumdam *dissensione*, de rebus *nouis* etc.

S. Thomas Lupsetus, Anglus [38]), vtriusque nostri sincerus amicus, rediens ex Italia, fecit iter per Constantiam, existens in comitatu

37) *Ioannem Frobenium*, et filium, *Hieronymum*.

38) Londini c. a. 1497. natus, Ioannis Coleti alumnus eiusque amantissimus, Oxoniae litteras graecas et latinas professus, Reginaldi Poli Patauii et Parisiis in litterarum studio versantis comes, a. 1531. vel 1532. in Anglia mortuus, variorum scriptorum auctor. Vid. Erasmi Opera, Knight's life of Iohn Colet, Wood Athenae Oxonienses, etc.

comitatu magnifici Poli [39]) tui, quem dignatus eſt ducere in aedes meas, in meam gratiam, vt numerum augeret amicorum meorum; tametſi Polus ita a me diſceſſit, vt ignoraret, me ſcire, quis eſſet, nam ſummopere curabat, ne quis reſciſceret, quis eſſet. Ego diſſimulans illum reliqui. Fuit mihi conuiua gratiſſimus, qui aliqua ex parte commonefaciebat me Poloni noſtri, Ioannis à Laſco [40]), patroni nunquam ſatis laudati. Oſtendi Polo et Thomae librum Euangeliorum [41]), et praecipue eum locum Ioannis vltimo, quo viſo vehementer gaudebant. Illi poterunt teſtari, claris et apertis litteris, Sɪ [42]) eum volo manere, ſcriptum eſſe vtrobique. Miſi duos libros Epiſtolarum Apoſtolicarum per quendam ſenem in hoc conductum, tametſi ille impetrabat veniam eundi longius, poſtquam reddidiſſet libros. Chriſtianum matrimonium [43]) tuum ſummopere placet, quamuis Lutheranis quibusdam nihil placeat Eraſmicum, quod videatur aliquouſque diſſentire ab illis, et improbare fatuam temeritatem illorum. Apud nos parantur milites in Italiam mittendi. De Turca conſultatur. Si quid voles ad me ſcribere, poteris libere per Benedictum [44]), qui ſarcinulas aliquot librorum e Baſi-

39) *Reginaldi Poli*, (*Pool*,) Angli illuſtris, a. 1500. nati, Eccl. Rom. ab a. 1538. Cardinalis, ab Henrico VIII. Angliae Rege proſcripti, a Maria Regina reſtituti, Thomae Cranmeri in Archiepiſcopatu Cantuarienſi ſucceſſoris, a. 1558. mortui Londini, variorum ſcriptorum auctoris. Vid. Lud. Baccatelli vita Regin. Poli, ab Andr. Dudithio latine reddita, Eraſmi Opera, Wood Athenae Oxon. et rerum Angl. ſcriptores, etc.

40) Eraſmus in epiſtolis vocat eum Poloniae Baronem et Praepoſitum Gneſnenſem. Alius fuit *Ioannes à Laſco*, Archiepiſcopus Gneſnenſis.

41) Verſionis Vulgatae latinae.

42) Non *Sic*, vt pleraque exemplaria Vulgatae habent Ioann. 21, 22.

43) Eraſmi ſcriptum.

44) Bibliopolam Baſileenſem, quem Iuuenem tenui re vocat Eraſmus, T. III. Opp. epiſt. 662. p. 775. ſq. ad Senatum Baſil., vbi cauſſam agit huius *Benedicti* in mulctam prolapſi.

e Basilea Constantiam curabit transuehi. Leodigarius [45]) nusquam apparuit, nec quisquam suo nomine. Excusatum ergo me habe, nunquam defuturum tuis pro mea virili. Bene vale. Constantiae, XI. Cal. Nouembr. 1526.

Tuus quantusquantus est,
Ioannes Botzhemus.

Doctissimo omnium Viro, D. Erasmo Roterodamo, praeceptori ex animo charissimo.

(Sigillum integrum.)

Altera, *Constantiae*, die Purificationis Mariae, seu d. 2. *Februarii*, A. 1527. exarata, (v. Index h. a. n. 2.) in principio et medio mutilata, dicit de *Luthero* et controuersia *eucharistica*, de *Zuinglianis* et *Oecolampadianis*, de Ambrosio *Blaurero* et *reformatione Constantiensi*, de *Erasmo*, de *Glareano*, *Latomo*, *Roffensi*, *Fabro*, *Humelbergio*. Denique auctor depellere a se studet *suspicionem fraudis* de epistolis Erasmi.

— — — — — — — — — — —

concionem Lutheri de Sacramento per — — — — — quam versam resumsi, quod in hoc a me factum, vt magis auerterer ab his, qui praesentiam corporis et sanguinis Domini in Eucharistia negant, quibus aduersatur opinio et fides mea, quantum ad Eucharistiam attinet, et praeterea in aliis plerisque. Non vt placeret auctor [46]) vsque adeo, de quo centuplo frigidius sentio, quam solebam ante annos aliquot. Tamen placebat institutum de propugnando

45) Hodie ignotus.
46) Lutherus.

gnando corpore et ſanguine Domini in Euchariſtia. Et cum ſcirem, te aliquot epiſtolis eſſe teſtatum, te ſentire idem, volui robuſtius confirmari tuo iudicio. Nec admodum multi laboris deuoratum eſt in eo negotio, quod res indicat, et ipſa barbaries dictionis, quod teſtatus ſum. Occlamant Oecolampadiani et Zuingliani indeſinenter opinionem noſtram, ſeu potius Euangelii, meo judicio. Ambroſius Blaurerus [47]), Numen Conſtantienſium, liberum fert illis, credant nec ne, nihil opus eſſe ea fide, nec haereticum eſſe, vtrum quis credat. Quae res non omnibus ſatisfecit, ſed totus eſt fautor Oecolampadii et Zuinglii [48]). Contra miſſam plenis velis nauigat. Recepit is curandas Virgines Veſtales aliquot incluſas, ex commiſſione Senatus, qui omnem diſpoſitionem ordinis eccleſiaſtici ademit. Ablegauit prorſus omnes miſſas e coenobio, et eam pecuniam, quam ſolebant impendere monachis, largiuntur pauperibus, et reiecti ſunt omnes monachi, ita vt ne aditus quidem pateat. Virginibus interdictum eſt, ne colloquium Praeſulis aut Monachorum admittant absque ſcitu Senatus. Huiusmodi nouantur indies res noſtrae, conſilio concionatorum Lutheranorum. Incarcerantur indies ſacerdotes noſtri contra pacta contractuum. Occluſus

47) *Ambroſius Blaurerus*, Conſtantiae a. 1492. natus, e nobili gente Blaurerorum de Wartenſee; ex Monacho Lutheri propugnator, et Conſtantienſium Eccleſiaſtes; doctrinae euangelicae praeco aliis etiam locis, Vlmae, Iſneae, Eslingae, Auguſtae Vindelicorum, Memmingae, etc. Ducatus Würtembergici inter Reformatores is, qui a. 1535. d. 2. Sept. Tubingae primam habuit concionem euangelicam; propter Interim (vt vocant) Caeſareum, ſeu Auguſtanum, Conſtantienſibus a. 1548. obtruſum, relicta vrbe patria, Heluetiorum Biennae *(Biel)* Eccleſiaſtes, tandem vitam agens priuatam in Heluetia mortuus Vitoduri, (*Winterthur* vocant,) auctor ſcriptorum variorum. Vid. Sleidanus, Seckendorf. hiſt. Luth., Adami vitae, etc.

48) Sententiam *Blaureri* de S. Coena diſplicuiſſe Luthero et Schnepfio, notat Seckendorfius.

clusus est thesaurus ecclesiae meae per Senatum, sub praetextu metus, ne per nos a ciuitate transferatur. Proceres nobilium agunt partes nostras. Petunt arbitrum controuersiae Caesarem, aut quibus ipse mandet. Senatus differt — si mihi vera narrantur, ita tamen, vt si res ad seria defluxerit, non sim recessurus a Collegio nostro Capitulari. Quod male intellexerim epistolam tuam, de aduentu tuo, negligentiae plus adscribas, quam ignorantiae, cui tamen grauiter obnoxius sum. Putabam, te certo statuisse abitum a Basilea, et occasione vndecunque sumpta iter ad nos sumpturum. At cum attentius, te monitore, relegeram, intellexi animum tuum esse, si pateretur commoditas mea, vt te inuiserem; quod et ipsum promouebo diligenter, et breui futurum spero. Addidit mihi fiduciam communis amicus noster Glareanus [49]), qui videtur ex animo gestire sanitatem tuam, praeter immensam molem studiorum. Quod scribis de libellis Latomi [50]), Roffensis [51]), et aliorum, vtinam feliciter prodeant! Rursus incus-

49) *Henricus Loritus*, cognomine *Glareanus*, scriptis clarus, Coloniae et Basileae Philosophiae, Friburgi Historiae ac Poëseos Professor, a. 1563. aet. 75. Friburgi mortuus.

50) Videtur loqui de *Bartholomaeo Latomo*, Philologo cel., qui docuit Augustae Treuirorum, Coloniae Agrippinae, Friburgi, Lutetiae Parisiorum, tandemque senex Confluentiae obiit c. a. 1566. et, praeter multa philologica aliaque scripta, edidit etiam quaedam ad controuersiam de eucharistia etc. spectantia. Vid. Erasmi Opp. T. 3. Seckendorf. hist. Luth. Andreae biblioth. belg. Swertii Athenae belg. Alius *Iacobus Latomus*, Theologus Louaniensis, a. 1544. mortuus Louanii, scripsit contra Erasmum, Lutherum, Oecolampadium, etc. Vid. Erasmi et Lutheri Opera, Seckendorfii, Andreae, Swertii libri citati, Miraei elogia illustrium Belgii scriptorum, etc.

51) *Ioannis Fischeri*, Episcopi *Roffensis* in Anglia, a. 1535. supplicio

ſiſti poenitentiam libertatis meae, quam tamen non niſi in ſeruum tuum memini proruiſſe. Curabo tamen, ne id quoque fiat poſthac. Faber [52]) eſt Faber, ſed non qualem ſe verbis exhibet, quod ab aliis audio. Humelbergium [53]), ſemper tui amantiſſimum, iure amplecteris, qui totus eſt ſincerus, quem ex te reſalutabo. Optime vale, chariſſime praeceptor. Ex Conſtantia, die purificationis Mariae, 1527.

Non eſt, quod ſuſpiceris fraudem de epiſtolis tuis ad me ſcriptis, quas tanquam pignus amoris tui et monumentum chariſſimi patroni libenter apud me reſeruo, nonnunquam oblectans me illis, vt ſolemus de rebus nobis vehementer charis agere, nec ſpero quicquam ſuſpicionis fraudulentae argumentum a me praeſtitum eſſe.

Tui obſeruantiſſimus,
Ioannes Botzhemus.

Doctiſſimo Theologo et optimarum litterarum Vindici incomparabili, D. Eraſmo Roterodamo, Domino et praeceptori ſuo modis omnibus Venerando,
Baſileae.

Quod ſupereſt, indicimus Vobis, Ciues Optimi, Sacrorum Pentecoſtalium Solemnia, proximo die XIX. Menſis Maii,

cio adfecti, iuſſu Henrici VIII. Regis Angliae; qui, praeter varia contra Lutherum edita, ſcripſit etiam, de veritate corporis et ſanguinis Chriſti in euchariſtia, aduerſus Oecolampadium. Vid. Eraſmi Opp. T. 3, Seckendorfius, Scriptores rerum anglic. et de ſcriptoribus Angliae auctores, etc.

52) D. *Ioannes Faber*. Vid. n. 8.

53) *Gabrielem Humelbergium*, Medicum ſcriptis notum, gente Sueuum.

Maii, bono cum Deo, in Aede Academica, hora XII. pie et religiose celebranda. Orationem anniuersariam habebit, inter Sacra Eucharistica, Vir tam doctrinae, quam morum elegantia nobilissimus, CAROLVS FRIDERICVS ZEIGERMANNVS, Laucha - Thuringus, dicturus de caussis, cur christiana religio Iudaeis primo loco fuerit tradita. Ad quam Orationem audiendam vt confluatis frequentes, COMITES ILLVSTRISSIMI, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PATRES ac PROCERES GRAVISSIMI, Vosque, COMMILITONES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI, CARISSIMI, rogamus vehementer atque etiam hortamur.

P. P. Lipsiae, Domin. Exaudi, A. R. S. cIↃIↃccxciii.

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.